

perennibus incilibus venientes, sed à destillatione aquæ pluvialis, & per poros anfractusq; terræ suo tempore iterum profluentes; vel etiam fontes sive aquæ cœlestes miraculosæ, quibus certum ad tempus radius quidam aspirat divinus, exq; non nisi vel singularis Omnis gratia, vel tanquam auxilium extraordinarium ex divina suscitantur misericordia, veluti in Ducatu nobis vicino Hilperhulano reperitur fons quidam, tempore annonæ caritatis tantum fluens, dictus famelicus fons, *der Hunger-Brunn* / de cuius scrutinio posteris temporibus: miraculosis de fontibus sub oratione de fonte Rastenburgico, in Gymnasio illustri Schleusingensi habita, aliquid tradidi memoria.

Fontes
miraculo-
si, sive
aquæ
miran-
dæ vir-
tutis.

§. 4. Sicuti ex præsuppositis his causis fontium & aquarum diversissimis infinita profluit diversitas, ita omnis ratio diversitatis sumenda vel à causis naturalibus, vel à cœlestibus sive super naturalibus: priores sunt difficillimæ investigationis, multo magis posteriores sunt omnibus sensuum coniecturis superiores, & non nisi mirificis se produnt effectibus.

Ratio di-
stinctio-
nis fon-
tium.

§. 5. Interim si naturales fontium & aquarum causas explorare intendimus, id fieri raro potest à priori, sive secundum manifestam causarum investigationem, cum eorum generatio nostris sit adempta oculis, sed à posteriori per rationes & sensus, quippe quibus substantia fluidi, huiusque proprietates tantum diiudicandur, in quantum nempe fluidum differat ab

Fonti-
um Na-
turali-
um cau-
sæ, et ha-
rū per-
scruta-
tio ex-
terna